APPENDIX AD LIBROS DE PLANTIS ET QUAESTIONES PERIPATETICAS...

Andrea Cesalpino



Imprimatur, si placet R.P. Mag. Sacri Palatij.

B. Gypsius Vicesg.

Imprimatur,

F. Paulus de Francis de Neap. socius Reuerendiss. P. M. S. Palatij Apostolici.

PERILLVSTRI VIRO ET OMNI VIRTVTE CVMVLATISSIMO

BACCIO VALORIO PATRICIO FLORENTINO

A Consilijs secretis Serenis. Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ.

Andreas Cæsalpinus S. P. D.



IDEBITVR forte, Perillustris Bacci curiositas in indagandis rebus peregrinis ex distantissimis regionibus India Orientali & Occidentali allatis vitio danda: cum diuina prouidentia in infinitis terris & ferè vbique suppetant, quæ humanæ naturæ sunt necessaria. At inexhausta sciendi & affluendi auiditas non frugalitati aquiescit, & in externis perquirendis & in vna quaque re exquisitissimis homines semper occupatos detinet. Videtur tamen hoc Medicis concessum, vt remedijs abundent, valetudinis gratia præ ceteris charissimę. Ceterum qui Medicam artem optime callent, non egent externis, & curiosius conquisitis medicamentis nobilibus, sed quæ apud nos sunt quamuis vilissima, opportune tamen accommodata, omnem languorem, si non incurabilis sit, propellere possunt, vt Cornelius Celsus testatur: incurabiles vero neque ijs quæ nobilissima sunt, siue odoris suauitate præcellant, vt Balsamum, & Cinnamomum; siue à tota substantia, vt Bezaar, Theriaca,


 Mitri-

Mitridatum, neque alijs vllis præterquam diuino auxilio sanari possunt. Consistit autem tota ratio curandi in facultatibus cognoscendis eorum, quæ administrantur, & occasione, quibus & quando conueniant. Quoniam verò auctores, à quibus Medicinam accepimus, quibusdam externis medicamentis vsi sunt longa experientia comprobatis, cogimur diligenter eadem indagare, cum multa ex ijs ob temporum varias reuolutiones aut perierint, aut reddita nobis sint incognita. Sed inter cetera beneficia à Deo nobis collata, hoc vnum est non mediocre, quod nostris temporibus Indiæ commercium datum est, & noui orbis vsque ad Antipodes, vnde facillime, quæ apud illos nascuntur, habere possumus, & preciosissima quæque ab antiquis vel potentissimis Imperatoribus Romanis desiderata non magno precio ad nos hodie comportantur. Iure autem optimo ij populi pro inæstimabili thesauro fidei, quem à nostris acceperunt, bona terræ eorum propria nobis communicant. Illud autem mirum videatur, aromata preciosissima simul cum fide Christiana periclitata esse, ac reuixisse. Nam Cinnamomi non deerat copia Romę ante Neronem: Postea verò quam in India Fides Euangelij ab Apostolo prædicata minui cœpit, incepit quoque Cinnamomum desiderari, etiam si Romanorum Imperium ad illas regiones tunc magis peruenisset. Reuixit autem, cum iterum prædicari Euangelium cœpisset, Lusitanis ad eas terras penetrantibus, adeo vt hodie corticis eiusdem, quæ melior eius pars est, maior copia habeatur, quam apud antiquos ligni, in quo nulla gratia est. Idem contigisse

vide-

videmus Balſamo Orientali, quod cum ſoli Iudææ datum eſſet, vt ſcribitur, expugnata à Tito & Veſpaſiano ea ragione, non periere eius horti, imò fertiliores Romanis colentibus euaſerunt, vt teſtatur Plinius: cum vero eadem regio ſub Turcarum imperium ceſsit, vna cum fide horti omnino periere. Hodie tamen in quibuſdam Aegypti & Arabiæ locis repertum, vnde ferri cœpit ad nos integerrimus eius liquor, nuncium ſperandum reſurgentis fidei, quod Deus concedat. Sincerißimum autem eſſe illud Balſamum, experimentis traditis ab antiquis colligi poteſt. Contigit enim mihi optimum & recens vidiſſe apud Franciſcum Medicem Magnum Ducem Etruriæ, & iterum apud Clementem VIII. Pont. Max. Liquor eſt pellucidus ſubflauus, cuius gutta exigua aquæ inſtillata in calice amplo ſtatim diſparet, non ſubiens aquam, ſed in tota ſuperficie dilatatur inſtar veli ſubtiliſsimi initio inuiſibilis, paulo poſt colligi poteſt inſtar membranæ, pellucidæ, ac tenuiſsimæ Ceparum, quod argumentum eſt tenuitatis & puritatis in nullis alijs liquoribus viſum. Odor ineſt ſuauiſsimus non medicatus, nec feriens: ſapor Piperis. Vetuſtate craſſeſcit, & flauior redditur. In indagandis autem rebus externis fateor me tibi multum debere qui litterarum copiam feciſti, quas Philippus Roſſettus tibi ſcripſit ex Goa Indiæ Orientalis de Cinnamomo & Lycio, alijſq; oculata fide ab eodem notatis. Merito igitur tibi additiones has offerendas duxi, cuius auctoritate promulgatæ fidem certiorem apud ceteros faciant, ac me exiguo hoc munuſculo tibi admodum deuinctum intelligas. Vale. Romæ. Die 19. Ianuarij. 1603.

CA-



CAPITA AD LIBROS DE PLANTIS 5.


Balsami Orientalis notæ in epistola.

Ad Quæstiones Peripateticas.



APPENDIX AD LIBROS DE PLANTIS ET QVAESTIONES PERIPATETICAS.

De Cinnamomo, Casia, Malabatro, Gariophyllo, Amomo, Cardamomo, & Carpesio. Cap. 1.



ARBOR Cinnamomi, vnde extrahitur electiſſima Canella vulgo appellata, Latine autem Fiſtula, deſcribitur admodum diligenter à Philippo Saſſetto viro multæ eruditionis, in epiſtola quadam ad Baccium Valorium tranſmiſſa ex Goa Indiæ. ad quem etiam plantam virentem cum alijs quibuſdam ferendam curaſſe teſtatur, ſed nauem in itinere perijſſe. Deſcribit igitur in hunc modum.

Arbor ferens electiſſimam Canellam, quod verum Cinnamomum eſt, oritur in inſula Zeilana, quæ eſt antiqua Taprobana: vocaturq; hodie ab omnibus Indis Cingal: inibi vbique prouenit præcipue humilibus locis prope mare: ideo verum eſt, quod Plinius tradit, nauigantes propè ſentire odorem ſuauem ex ijs arboribus ſpirantem: non quod ligni odor ſentiatur, nam inodorum eſt, tam viride, quam ſiccum, niſi fricetur: ſed arborum flores tam Cinnamomi, quam aliarum multarum, quæ in eo tractu proueniunt, quaſi toto anno ſuauiſſimum odorem ſpirant. Ceſpitem fruticoſum

ſum fert inſtar Arbuti, aut Auellanæ nouellæ ex radicibus numeroſis, quarum vna craſſior figitur intra terram, & iuxta eam multæ tenuiores. Ex vno ceſpite exeunt ſex aut ſeptem virgulta quatuor cubitorum altitudine, quo tempore craſſitudinem adepta ſunt aptam, vt fiſtulæ à ligno ſeparentur. At ramuli, qui prope radicem ſunt, areſcunt, vt ijs contingere ſolet, qui in denſis ſiluis naſcuntur. Folia fert figura Lauro ſimilia, linea circundante plana, & diſcurrente per medium coſta quadam, ac duabus alijs à latere concurrentibus in ſummo ad angulum acutum; ad pediculum autem ouatam figuram efficiunt, intermedium coſtarum veluti filamentis diſtinguitur, vt telæ araneæ. Teguntur baculi cute tenuiſſima colore vario pro diuerſitate naturæ, ætatis, poſitionis, & partis. Nam prope radicem craſſiores baculi cute albà veſtiuntur, prope cacumina color niger apparet, in medio varius: vnde ſæpe contingit in eodem ceſpite omnes colorum differentias videri, à quibus antiqui ſpecies varias Cinnamomi fecerunt. In quibuſdam color ille apparet,quem Galenus comparat lacti aſperſo ſuper nigrum cum cæruleo. Quidam colore vinoſo viſuntur vergente ad cinereum, vt Dioſcorides narrat. Sub hoc continetur cortex, qui mundatur ad fiſtulas. Tenuiores fiſtulæ habentur ex Zeilana,quam ex Malabar. Sub eo cortice lignum eſt, cuius materies leuis & villoſa eſt: in medio medullam continet ſubrubentem vt Lauri,non adeo craſſum. Sapor ligni inſipidus, ſi tamen diutius mandatur, præſefert aliquem ſaporem Canellæ, ſed vix percipitur. Inter foliorum pediculum & ramulos vnde exeunt, egreditur pediculus albus rotundus, ac tenuis, qui in ſummo aperitur in plures ramulos, quibus ſummis inſident floſculi, qui dum clauſi ſunt, imitantur oleæ racemulos figura, & colore, qui aperiuntur in ſex foliola veluti calicem conſtituentia, veluti fila ex fundo in latam & rotundam ſuperficiem deſinentia: ſed quam primum flores aperiunt, à ſole areſcunt: eorum odor non iucundus, ſed cerebro grauis, ſapor aſtrin-

gens. Fructus, qui indenascitur, oblongus est, non magnus, acetabulo insidens veluti glans, initio viridis, postea increscens purpureus redditur, postea tendit ad nigrũ: Cum perfectus est, videtur glans. Intus includuntur semina exigua, vt Fici grana flaua sine odore, sapore Canellæ, dulciori. Pascuntur his aues, auide autem præ ceteris Palumbi, qui eorum pastu torpescunt, arboribus insidentes nutante capite huc illuc veluti ebrij. Radicum cortex longe feruentior est quam caudicis. Cum manditur, transmittit ad cerebrum odorem veluti flores spicæ, aut Camphoræ. Folia sunt gustui iucundissima. Quamuis autem mandendo non adeo ferueant, vt Canella, non tamen multo inferiora sunt; sed tenera & recentia carent quidem ea saporis gratia, sed astringunt, & leuiter os lubricum reddunt, ac si grana Pyri Cotonei ore detineantur. Extrahitur aqua per distillationẽ admodũ preciosa ex recẽti Canella, at non inferior est, quã docet Matthiolus. Quæ nascitur in terra continenti veluti siluestris est respectu eius, quæ in insula Zeilana. Nascitur in vniuersa prouincia Malabar & Canara, & Concansino, in montibus Goæ, sed vere videntur siluestres multis ramis fruticantes, sed quæ in Malabar prouenit, non multum cedit Zeilanæ, nisi quod cortex lignosior est & fibrosior, colore rubentiore & palatum vrente minori iucunditate. Quæ colligitur in Canara iam multum differt. Quæ in Cansan, ex sapore vix dignoscitur. Ideo quæ in terra continente proueniunt, non sunt venales nisi quæ in Cocchino. Aliæ notæ communes sunt omnibus, seu in Continenti, seu in insulis gignantur. Viderentur ex genere lauri, si eorum folia in igne crepitarent. hactenus Philippus. Ex hac historia colligere possumus differentiam inter Casiam & Cinnamomum. Casia enim est veluti Cinnamomum siluestre. Neque mirum in insula ea optimum Cinnamomum oriri: si enim Taprobana est, aut illi proxima, gaudet ferè perpetuo æquinoctio, quo Sol æqualiter concoquens temperaturam illam gignit naturæ humanæ iucundissimam. Colligere

etiam possumus folia huius arboris esse Betellas, quas Indi mandunt voluptatis gratia. Quondam autem ferebantur ad nos pro Folio Indo, idest Malabatro non sine ratione. Tres enim nerui discurrentes in illis sunt, vt ex prædicta descriptione patet: Sapor & odor Canellam præseferens: prætерea nomen Malabatri confirmat, à regione Malabar, vbi optimum in continenti oritur. Fructus præterea Cinnamomi videtur congener cum Gariophyllo. Nam hic antequam ad perfectionem veniat oblongus est capite anguloso, vt Myrthi fructus, & festucis insidet vmbellæ modo: Cum vero perfectus est, Baccam gerit oblongam nigram, intra corticem seminibus nigris fartis, & præduris. Huius meminisse videtur Hippocrates lib. 2. de Morbis Mulierum, vbi vocat Indicum: quod Persæ Piper appellant, rotundum quid in eo continetur Myrthidanum vocatum. Et Plinius inquit, esse in India simile grano Piperis, sed grandius & fragilius, quod Gariophyllon vocatur, tradunt nasci in siluis Indiæ, affertur odoris gratia. Idem Hippocrates lib. 1. de Morbis Mulierum inquit.

Piperis quædam esse grana grandissima, quædam parua. Idem quoque mentionem fecit de fructu Casiæ: Inter hos fructus putandum est fuisse Carpesium vocatum & Amomum, forte & Cardamomum. Nam manipulatim colligebantur festucæ cum fructu, vt de Gariophyllo hodie fit. Et merito Quintus eo vtebatur loco Cinnamomi, vt Galenus testatur. Hodie autem reliquis reiectis minus venalibus soli Gariophylli afferuntur cum suis festucis. Nomina autem translata sunt ad alias plantas, postquam desierunt ab India asportari. Ideo non errabit quis, si pro Amomo non Cubebas vouatas, sed Gariophyllos sumat. Pro Carpesio eiusdem festucas: pro Cardamomo fructus eiusdem perfectos. Non tamen reijcienda sunt, quæ Cardamomi maioris & minoris nomine afferuntur.

De

De Lycio Indico, & modo extrahendi ſuccum ex lignis apud Indos. Cap. II.

IDem Philippus de Lycio Indico hæc ſcribit: Arbor Cadira ab Indis vocatur, ex cuius ligno extrahunt ſuccum, quem Catu vocant: ſponte oritur in vniuerſo Indiæ tractu maritimo, copioſior autem in Cambaia. Eius radices craſſæ admodum ſunt: caudex inſtar Pruni, aut Amygdali, in quo rami inæqualiter tam ſecundum altitudinem, quam ſecundum ambitum diſpoſiti ſunt. Ex ramis ſpinæ exeunt vt in Rubo & folia læte virentia anguſta & parua, inſtar Abietis in ramulis angulum acutum facientia, non ſuperficiem planã. Super ea exoriuntur rotunda quędã exigua rubeſcentia, quę tota folia in latitudine occupãt guſtu aſpero. Arboris cortex aſper eſt, & rimoſus colore interius ſubrubente, ſub quo alter cortex eſt tenuis colore ſubluteo. Lignum quoque exterius ſubluteum, medulla ſubrubra denſiſsima, quæ ſi tranſuerſim cædatur diſrumpitur vt lignum ſanctum, grauis vt in aqua ſubſidat. Odor arboris recentis grauis eſt: Medullæ ſapor cognoſcitur ex ſucco, qui extrahitur, nam amaricat, ſed magis aſtringit; qui ſapores in ligno non ſentiuntur. Garzias ab Orto, & Criſtoual aſſerũt eſſe Lycium Indicum Dioſcoridis, vt ex notis affirmare poſſumus. Modus extrahendi huiuſmodi ſuccum hic eſt. Aſſumitur arboris medulla in tenues partes ſciſſa, poſtea molita ſuper marmor, quo pictores vtuntur. Coquitur hic puluis in aqua ſufficienti per horas 24. deinde colatur. Decoctio iterum coquitur donec craſſeſcat vltra mellis craſſitudinem, minus quam ceræ, vt efformari poſſint paſtilli, qui exſiccati exterius nigri ſunt, interius ſubrufi. Probantur ſinceri, ſi in os ſumpti dimidiæ auellanæ magnitudine liqueſcant in totum nulla aſperitate ſub dentibus. Sapor ſentitur modice amarus non ingratus cum pauca dulcedine aſtringens tanta vi, vt ex lingua & palato perueniat vſque

 ad os

ad os Ventriculi. De eius viribus breuiter ſcripſit Proprie tatius autor Gentilis in hunc modum: Arbor Cadira amara eſt & aſpera: abſumit pituitam & bilem: aufert faſtidium & tuſſim: Tumores diſſipat totius corporis: Curat ſcabiem & lepram, & ſanguinem purificat. Et quamuis remedium ſit ad alios multos morbos, propria tamen eius virtus eſt aduerſus ſanguinem putrefactum. Succi, qui Catu dicitur, eædem ſunt facultatis, ſed in omnibus efficaciores, cum ſolam ligni ſubſtantiam contineant. Cum autem ſæpius de hoc medicamento egerit cum Medico quodam Gentili, & de vtendi modo, non prætermittam quædam alia, licet virtute contineantur in dictis Proprietatij. Malacenſes & Cini, ad quos defertur eius multa copia, mandunt cum Gypſo & Bletre, ideſt folio Betelle aduerſus oris fœtorem: nam abſtergit Pituitam ſuperfluam ex ore, prohibet putredinem, gingiuas conſolidat, vermes necat, qui in dentibus gignuntur: aufert dolorem, & ſuauem halitũ præſtat. Drachma vna eius ſoluta in aquæ vncijs tribus, qui eſt communis Indorum ſyruppus, quo omnia medicamenta diluunt, ſiſtit fluxus cuiuſcunque generis, roborat Ventriculum, prohibet vomitum, & ſanguinis ſputum ſiſtit: & quaſi momento ſuperfluam medicamentorum purgationem compeſcit. Sumptus eodem modo per dies 15. ſcabiem ſanat: vlterius vſq; ad 50. mundat à lepra, ſi ægrotantes abſtineant interim à cibis humidis, acidis & ſalſis. De facultate, quam ſcribit Dioſcorides ad Canis rabioſi morſum, Indi non habent experimentum, quia apud eos non reperitur talis morbus, quamuis regio ſit calidiſsima: ceteræ omnes facultates cõſentiunt cum Dioſcoride. Obſtetrices eius decoctione trium vnciarum in libris ſex aquæ abluunt puerperæ pudendum, vt reſtituatur ad mediocritatem. Eſt Proprietatius prædictus autor antiquiſſimus, qui ſcripſit in his regionibus materiam Simplicium, & vocabatur Nigantus. Tractauit de innumeris plantis breuiſſime, vt translatus eſt. Habent Indi alios autores, quibus fidem pleniſsimam præſtant abſque

vlla

vlla contradictione.sunt autẽ sententiæ communes,quarum multæ videntur ab Hippocrate ductæ, aut vt ipsi præsumũt, Hippocratem ab illis accepisse, ostendentes antiquissimas memorias,& semper sapientiores fuisse quam nunc. Inter cetera vidi tractatum circa illã definitionem Medicinæ,Adiectio & Ablatio, mirabili methodo ostendentẽ in omni morborum curatione conuenire, incipiendo à clysteribus purgantibus & sigillatim ad omnes transeundo. Eorum scientiæ scriptæ sunt lingua, quam vocant Sansiruta, quod significat bene articulatum, cuius memoriam non habent, quando inceperit, cum alioqui memorias habeant antiquissimas. Addiscunt eam vt nos Græcam & Latinam. Profitentur scientias ab illis ortas esse; miranturque si quis ex nostris methodo eas tractet, cum antea nunquam id contigisse sciant. Hucusque Philippus in sua epistola.

Ex qua manifestum est, Lycium Indicum esse Indorum Catu, medicamentum validissimum ob astrictionem cum modica amaritudine.

Et arborem nostratem,quæ eius loco substituta est à Dioscoride,valde conuenire illi ob fructus rubentes,qui copiosi fere totos ramos occupant,non solum folia: quæ grandiora sunt folijs abietis, ad Buxum accedentes, aculeos, corticem interius subluteum & alias notas: at viribus longe inferiorem. Illud porrò ex hac historia notandum videtur: modum extrahendi succum ex lignis densioribus valde vtilem esse. Ex densa enim materia vix extrahi potest virtus in eo latens,nisi optimè comminuatur,vt Indi præcipiunt, læuigantes super marmor & diutius coquentes, nam alioqui succus internus non soluitur,vt colligi possit in aqua. Si idẽ præstaretur in ligno Guaiacco,& alijs durissimis, vt eorum substantiam haberemus separatam à ligni crassitie, non solum efficaciam ampliorem inueniremus, sed & medicamentum ad quancunque occasionem paratum quocunque liquore soluere possemus. Lycij Indici loco alia ligna habemus,ex quibus eo artificio succum modice amarum & efficaciter

ficaciter astringētē extrahere licet, Oleæ domesticæ, aut siluestris, lignum Iuniperi, cuius resina ad digerendum longe efficacior est. Hippocrates vtebatur ad muliebres fluores siccandos Loti & Thædæ ramentis decoctis. Facile autem ex quocunque ligno à lignarijs fabris secto, aut serra, aut dolabra, scobem, aut rasuras assumere possumus, & terere, vt dictum est. Qui vero cineres vstorum sumunt, vim nitrosam tantum eliciunt, saporem autem ligni nequaquam. Vires, quæ in rariori materia sunt, vt folia fructus, magis corrumpuntur, vt & ligna, quæ teredini sunt obnoxia.

De Pepone, *Melopepone & Citreolo.* Cap. III.

CVm mihi venisset ad manus breuis quidam tractatus de Melopeponis laudibus à doctissimo Leonardo Iachino conscriptus ad Philippū Valorium patrem tuum aduersus quendam calumniantem eum fructum, visum est ad confirmationem eius sententiæ hęc adiungere. Antiquos aut non cognouisse nostros Melopeponos, aut non fuisse eius perfectionis, qua hodie reperiuntur: siue id contigerit ob culturam antiquis incognitam, siue sponte in temporis processu mutata sit eorum natura, aut translatione in alias terras, vt alijs multis contigisse scribitur. Nam & hodie admodum fallax reperitur eorum conditio, vt quidam proueniant optimi super omnes alios fructus expetendi, multoque precio mensis nobilium coempti: Alij vel ex eodem horto, eademque planta neglecti, soli plebi & iumentis cōmodi. In nullo alio fructu, cum ad suam maturitatem peruenerit, nec transcenderit colligendi oportunitatem, tanta differentia reperitur vt in Melopepone. Merito igitur antiqui hunc fructum minus probarunt. Quo enim gustui minus grati erant, eo magis noxij, praui succi, putredini apti, vnde alui fluxus & febres putridas gignunt. Reperio tamen Hippocratem eos minus damnasse. Nam in libro de Affectioni-

ctionibus Siciopeponis mentionem faciens, nō enim adhuc Melopeponis nomen aderat, inquit: Siciospepon, ideſt noſter Citreolus, cum maturus eſt, mouet vrinam, & deſcendit ad aluum, & leuis eſt. Alter vero Pepon refrigerat aliquantum & ſitim ſedat, ſed à nullis eorum nutrimentum fit niſi tenue, non prauum nec memorabile. In libro autem 2. de Diæta inquit: Sicij non maturi frigidi ſunt & difficiles ad digerendum: maturi autem vrinam mouent & aluum, ſed flatuoſi ſunt. De altero Pepone 3. de Morbis inquit: Ablato cortice medulla ex aqua frigida confert febricitantibu s ad ſitim extinguendam, vbi medullam eius vocat Palam, ideſt maſſam quandam informem: qualis nec in Citreolis, nec in Melopepone contingit, ſed in ſolo noſtro Cucumere cum maturus eſt, ob eius ſubſtantiam admodum aquoſam. Pala apud Græcos etiam ſignificat ſubſtantiam informem, quę ab ære abſcedit, cum ignitum aqua extinguitur: quem Florem æris Dioſcorides vocat: quo ſæpiſsime Hippocrates vtebatur ad vlcera in humidioribus partibus ſananda, vt in faucibus, & pudendis: at medicis noſtris incognitus: quamuis apud Aerarios fabros copioſus, ſquamæ ſunt craſsiores, quæ in extinctione æris abſcedētes, qua parte abſceſſerūt ab ęre, & in fracturis granuloſæ ſunt inſtar Milij, vt Dioſcorides refert, Raminam vulgo appellant. Sed vt ad Melopeponem reuertamur, teſtatur Plinius ſuo tempore in Campania comparuiſſe inter Cucumeres, & ob Mali Cotonei ſimilitudinem, Melopeponem appellatum. Si igitur hic apud Gręcos antiquos cognitus fuit, dicendū eſt eum non diſtinxiſſe à Sicio ſatiuo, ideſt Cucumere à Latinis vocato, quem nos vulgo Citreolum vocamus, qui gratior eſt ante maturitatem & cum adhuc paruus eſt. Hic quamuis difficile digeratur, vtilis tamen eſt ijs, qui egent refrigeratione, & quibus cibi in Ventriculo corrumpuntur: diu enim perſiſtit incorruptus, quod maturis non contingit. At Melopepones non niſi maturi grati ſunt: Similiter & qui Cucumeres vulgo appellantur.

Duas

Duas has ſpecies cognitas antiquis fuiſſe manifeſtum eſt, ſcilicet Citreolum & Cucumerē vulgo appellatum, vtrunq; Sicij nomine, & Siciopeponis. Apud Simeonē Sethi, vterque appellatus eſt Anguria, ſed priuatim Tetranguria de Citreolis intelligitur, quia videntur conſtare ex tribus, aut quatuor corporibus in longitudine productis: & ex ijs laudat paruos. Inquit præterea vtriuſque comedi ſolere ſubſtantiam internam, quoniam exterior praui ſucci eſt, & coctu valde difficili, & quaſi venenoſa. Ex hoc patet error, qui in verbis Galeni eſt, cū inquit: Peponis mandi, id quod extra eſt, abſtineri autem à ſubſtantia, in qua ſemen eſt. In Melopepone autem è conuerſo. At Sethi veriorem eſſe ſententiam comprobat experientia. Hodie enim tam Citreoli, quam Cucumeris aſſumimus tantum internam ſubſtantiam, in qua ſemina ſunt. Ex eo quoque conijcere licet, apud antiquos dici Siciopeponem non noſtrum Melopeponem, ſed Citreolum, quando maturus eſt, tunc enim tactu mollis eſt, vt pleriſque fructibus maturis contingit, vnde ceſsit in prouerbium de ineptis, quod non conuenit neque Melopeponi, neque Cucumeri noſtro, cortice enim prædurο conſtant etiam cum maturi ſunt. De Citreolo autem adhuc ſeruatur prouerbium Aretij antiquiſsima Etruriæ vrbe, vbi maturum & citrinum redditum Cedronem vocant, quo nomine ſignificant ineptos & inſipidos, nam fructus is maturus dulcedinem quandam habet inſipidam. At Melopeponis & Cucumeris dulcedo gratiſsima eſt, veluti Succhari. Ideo Citreolus ſuam gratiam habet ante maturitatem, tunc quoque obfactu recreat animo delinquentes, vbi refrigeratione opus eſt.

De Euphorbio, Hippophie, Hippophesto, & Struthio.
Cap. IV.

EVphorbium inter Tithymalos eſſe manifeſtum eſt, non cognitum ante Iubam Mauritanię regem. Eius ſucci

virtus potentissima est ad extrahendum ex alto. Nos eo loco Thapsia vtimur in syncipite cum Galbano. ad graues distillationes fælicissimo successu. Mirum quod scribit Dioscorides liberare à quocunque veneno ex morsu virulentorum, si scissa cute in vertice capitis vsque ad os, imponatur super os Euphorbium, postea sanetur vulnus. At id non ex propria sententia affirmat. Rationi autem consentaneum est. in grauibus symptomatis reuulsionem hanc præsentaneum esse remedium, siue grauis sopor teneat, siue conuulsio, siue Paralysis & alia huiusmodi, sed adhibitis prius clysteribus acutis, aut alijs euacuationibus: cum autem cutis inciditur, cauendæ suturæ, & pericraneum separandum ab osse ne inflammetur. Postea sedata inflammatione imponendum Euphorbium super os, & vulnus opplendum ijs quæ inflammationem impediant, & ardorem mitigent. Et si opus sit, iterum imponendum Euphorbium vt vlcus oppleatur carne cum cerato. Sine scissura autem, rasis solum capillis supra suturas imponendum medicamentum, ad Coronalem laborantibus anterioribus partibus, ad Labdoidis laborantibus posterioribus: ad tempora in hemicrania prius locum fouendo ex oleo calido. Pro Euphorbio vti possumus succo Tithymali cuiuscunque presertim Caraciæ extracti in hunc modum. In ęstate circa Canis exortum mane colligantur rami, qui statim mergantur in aqua fracti, in vase fictili amplo, quod in sole collocetur, vbi tota die incalescat. Altera die auferantur rami, & alij imponantur. Idem singulis diebus repetatur per 7. aut. 10. dies. Postea coletur, & in sole tam diu detineatur, donec crassescat succus, & siccetur. Hæc in sole peragenda, quia ignis vires destruit. Succus is ciceris magnitudine cum Ptisana sumptus purgat bilem, pituitam & aquas, adiunctis seminibus quibusdam odoratis. Ex eodem genere videntur esse Hippophios, & Hippophestum, quibus Hippocrates vtebatur ad aquas purgandas. De Hippophie Dioscorides inquit: Vtuntur hac planta qui pannos purgant, nascitur locis maritimis & are-

nosis frutex densus multis surculis, folijs oleæ angustioribus & mollioribus, inter quæ spinæ sunt aridæ, albæ, & angulosæ per interualla: flores congesti vt Hederæ Corymbi,cum acinis cōgestis mollioribus & albis partim rubescentibus. Radix crassa mollis, amara, lacte madida, qui colligitur vt Thapsiæ. Hippophestum nascitur eisdem locis similiter vtile pannis purgandis. Serpit in terra folij s minutis spinosis & capitulis spinosis sine flore & sine caule. Radix crassa & mollis, ex qua & ex folijs, & ex capite extrahitur succus, qui siccatus purgat aquas & pituitam. Theophrastus 9. mist. cap. 15. inquit. Medicamentum Hippophus extrahitur quodam Tithymalo: in precio est quod fit in Tegoa. Ex his patet has plantas cum Euphorbio conuenire, nam in genere Tithymali spinosæ sunt.

Struthium quoque in hoc genere ponendum, & hoc in vsu erat ad lanas purgandas, ideo lanaria herba dicta est,& nascitur in littore maris, in Andro,vt Hippocrates scribit in libro de natura mulierum: eius radicem tusam, & tritam, quantum tribus digitis apprehendi potest,cum melle subditam prouocare menstrua,& purgationes ex partu,& aquam trahere. Dioscorides Struthium non describit tanquam notissimum, vim habere purgandi, in communi vsu esse ad sternutamenta prouocanda: quam facultatem validissimam esse videmus in Euphorbio, vt quoq; vim trahendi aquam.

De arbore simili Terebintho, Rhoe, Mecioacan, Hipposelino, Conyza Hipp. Bulbio. Holoconiti, & Epithimo albo. Cap. V.

ARbor quædam peregrina Romæ nata est ex semine in quodam horto Columnensi, similis Terebintho folijs augustioribus in longo pediculo tenui, ramulos fert sparsos in summis virgis: baccas oblongas & subrotundas. Emanat e cortice lachryma candicans subpinguis,qua vtuntur pro benigno medicamento purgante.

Altera breuior ſimilis in totum Rhoi, quæ Sumach dicitur. Sed folia lacte manant.

Mecioacan radix eſt candida ex India Occidentali allata, medicamentum benigne aquas purgans. Eius planta deſcribitur à Monarde Hiſpano, quæ deſcriptio omnino quadrat Tamaro vulgari, quæ vitis ſilueſtris à Dioſcoride dicitur.

Romæ inter olera venditur, quam Seleri vocant: videtur hæc Hippoſelinon ſatiuum. Similis eſt Apio paluſtri, candidior, & grandior, cuius caules aggeribus operti teneri redduntur & albi, radix quoque alba, quæ cum caulibus crudæ & coctæ comeduntur cum pipere & ſale: Sapor & odor ſimilis olaſatro, iucundior.


Conyza Hippocratis deſcribitur 2. de Morb. Mul. Herba ſimilis Apio criſpo naſcitur prope mare locis arenoſis, cuius odor vix tolerari poteſt. Subditur cum melle & vino ad vterum non retinentem geniturам. Alibi Conyzam ferinam vocat; in potu cum Caſtorio & vino ad vteri ſtrangulationem facit. Vocatur hæc vulgo Ambroſiana: copioſa eſt prope Senogalliam.

Bulbium 2. Morb. mulierum, ſemen nigrum, & acre, ſimile Cumino Aethiopico, naſcitur inter triticum præcipue in Aegypto. Vterum purgat ſuppoſitum cum Allio & Nitro. Vulgo Betone vocantur, ob ſimilitudinem ſeminis cum Nigella. Bulbium dicitur, quia ſemen nigrum vt bubo.


Holoconitis dulcis 1. de Morb. mul. Radix inſtar Bubi parua, oliuæ modo, pota in vino cum ſemine odorato Cumino Aethiopio, & Seſeli Maſſilienſi, eijcit Secundam. Vulgo Traſi in genere Eupori.

Epithimum album 2. Morb. mul. ideſt Piper album, nam in genere Piperis non meminit albi.

AD PERIPATETICAS QVAESTIONES



Lacerari veritatem ex discessu à communi hominum consensu. Cap. I.



QVI librum in Germania edidit inscriptum, Alpes Cæsæ: in quo demoliri nititur quæ in Peripateticis quæstionibus scripsimus: superba & monstruosa dogmata appellans, non solum Cæsalpinum cędit, sed & Aristotelē Peripateticorum principem. Pro Aristotele non deerunt, vt puto, qui eius doctrinam defendant. Quod vero me quasi flagellis cædat, non ægre fero. Cum enim homo sim, labi forte aliquando præ imprudentia in aliquod mendacium, non est mirum: cędi patiar ad emendationem. At veritatem vel tantillum vulnerari nunquam patiar. Vulneratur autem veritas, si ab vnitate disiungatur: restituiturque, si ad vnitatem reducatur. Quod enim est, vnum quoque est: falsum autem non est, ideò nec vnum est. Patet autem hunc auctorem à veritate discedere, quia à communi hominum consensu discedit. Peripateticam enim disciplinam inter omnes Philosophorum sectas plurimorum consensu approbatam refellit. At quis credet eius solius iudicium rectum esse, ceterorum autem plurimorum curuum? Omnis enim scientia pendet ex principijs notissimis omnium consensu approbatis: Necesse igitur est vnam quandam mensuram esse qua omnia mensurantur, eamque rectissimam,

hæc enim sola vna est, curuæ autem plures. Recto igitur rectum cognoscimus & obliquum, vero autem verum & falsum. eadem enim est scientia contrariorum. Pręterea simili modo Entia disposita sunt, & cognoscuntur, Ad vnum autem omnia sunt, quod ens perfectissimum est: Ab eodem quoque tamquam omnium mensura cognitio omnium pendet: Est enim intellectus, quo omnia intelliguntur. Quibus igitur Intellectus communicatus est, vt hominibus; necesse est eadem principia communicari, vnde consensus in principijs reperitur. Quicunque autem dissentit, deprauatum esse eius iudicium oportet. Contingit autem deprauari, aut ex materia, in qua innascitur eius intellectus: non enim omnis similiter pręparata est: aut ex Phantasmatis perturbantibus: aut ex animi passionibus. Non enim similiter iudicamus quæ amamus, & quæ odio prosequimur. At vero si aliquod ex his auctorem à recto itinere detorsit, cognoscet: si ex principijs veris nihil abrasum fuerit ex ijs, quæ cædere nititur. Aristotelis enim dogmata adeo inuicem cohærent, vt vnum vel minimum dimoueri sine ceteris nequeat. Ordo præterea vniuersi idem ostendit. Primum enim Ens, à quo cetera pendent, vnum est, & impartibile. Ab eodem natura corporea partibilis secundum trinam dimensionem descendit, vnde multitudo exoritur clarius, & obscurius esse participans: Cælum & Terra, cum ceteris elementis: Postea mixta inanimata, deinde Plantæ animam vegetatiuam participantes, & animalia etiam sensitiuam, tandem homo rationis particeps. Singula autem vt de ente participant, sic & de vnitate. Nam Elementa inuicem disiungi, vt vacuum intercidat, nunquam patiuntur: periret enim eorum natura disiuncta per vacuum ab eo vnde recipiunt esse. Et animantium partes si separentur ab eorum principio, moriuntur: tamdiu enim viuunt, quamdiu adnatæ sunt Cordi, cuius calore vitali continue irrigari oportet. Vnumquodque etiam indiuiduum vnum numero est, quamdiu non diuisum fuerit: & vnum specie aut genere

dicitur,

dicitur, cum eandem naturam ſpecificam, aut genericam participat: quod ſi variet aliqua ex parte à natura illa communi, præter naturam eſt, & Monſtrum appellatur. Quod igitur eſt, etiam vnum eſt ab vno ſuum eſſe participans: imperfectius quidem inanimata: nam cum trina dimenſione ſolas qualitates tangibiles poſsident, & viſibiles. Plantæ autem præter elementorum qualitates animam vegetatiuam adeptæ ſunt, quæ aliqua pars eſt Diuinę eſſentiæ, quæ vita eſt, ſed communicata materiæ. Animalia præterea adhuc perfectius diuinum id participant, quia ſentiunt. Tandem homo perfectiſsime, quia intelliget. vnde ſimilis Deo factus eſt, & immortalem animam adeptus non indigentem corpore vt intelligat. Vnum igitur quoddam Diuinum eſt, cuius participatione viuentia viuunt, à quo ſi ſeparentur, pereunt: cum tamen illud ab omnibus ſit ſeparatum. Ab vno igitur ſunt omnia & conſeruantur. Vnde bene Ariſtoteles concludit. Non eſt bona pluralitas principatuum, vnus ergo princeps. Similiter & nos concludere poſſumus: Non eſt bona ſectarum multitudo: vna ergo veritas, & vnus conſenſus. At in ſcientia naturali forte difficilis eſt vnus conſenſus, non enim euidentiam Mathematicam habet: nec tamen in his errare multum refert. Sed circa Diuina, quæ per ſolam fidem habentur, vnde pendet hominum ſalus, & æternum ſupplicium, extrema dementia eſt recedere à communi fidelium conſenſu. Superbum quidem eſt propriam ſententiam ijs anteferre, vel qui humana ſapientia ſcientiarum auctores extitere, eorumque auctoritati derogare: vel qui diuino numine afflati creduntur. Non ſuperbum eſt, ſed pium eos qui diſceſſerunt, ad veritatem reducere. Ne igitur fruſtra auctor videatur hæc tentaſſe, conſulo, vt Catholicæ Eccleſiæ reſtituatur, & reſipiſcens priuſquam incidat in diuinæ iuſtitiæ iudicium, miſericordiam imploret, & fructus dignos pœnitentiæ faciat. Sic enim illuſtrabitur eius intellectus, qui ex diſceſſu obſcuratus eſt.

Diuersas sectas ortas esse ex errore in principijs. Cap. I I.

QVamuis autem sectæ omnes plures habeant sectatores, qui in idem conueniant, inuicem tamen diffident ob aliquem errorem circa principia, vnde in vanas sententias inciderunt. Paruus enim error in principio maximus fit in fine. Vt in Philosophia omnium consensu substantia quoddam principium est. Omnia enim alia aut de substantia dicuntur, aut in substantia sunt. De partibus autem substantię vtrum Materia, an Forma prior sit, non inter omnes conuenit. Qui enim materiam priorem esse dixerunt, quia Formam gerat, inciderunt in errorem, putantes corporum principia, scilicet lineas, superficies & puncta seu numeros, substantiæ principia esse, vt Pythagorici. Aristoteles contra, Formam priorem esse contendit, quia actus prior est potentia: Qua ratione inuenit omnium principium esse actum simplicem, & hunc solum per se substantiam esse, & cuius gratia, & optimum. Materiam autem non per se substantiam esse, sed alterius gratia. At in via Peripatetica aliæ sectæ emerserunt ob ignorantiam substantiæ, quæ Forma dicitur. Vnde formas elementorum ignorauerunt, dicentes esse occultas, & circa animæ rationem præcipue intellectus hæsitarunt: vnde in multas absurditates inciderunt, non bene percepta Philosophi sententia de substantia: quam nos quantum potuimus explicauimus ad mentem Græcorum interpretum. Non enim ex mea sententia hæc prodidi, sed ex verbis Aristotelis admodum claris, nec in alienam linguam translatis. Aristoteles quidem ex naturalibus ad ea, quæ supra naturam sunt, via naturali, quæ est ex notioribus nobis, peruenit, quantum homini datum est scire: auferendo cōditiones materiæ per resolutionem, quam in posterioribus Analyticis docuit. Qui hanc non tenet, sæpius à veritate aberrat. Sunt autem notiora nobis singularia, quæ enim sensibilia sunt,

intel-

intelligibilia fiunt ablatis conditionibus materiæ, à qua numerus ſingularium exoritur: vnde vniuerſale conſurgit, quod eſt obiectum intellectus, vt ex hoc homine homo, quæ ratio eſt eadem in pluribus, forma, & Quodquid eſt. Omnes autem formæ naturales quandam materiam includunt in earum ratione, quæ materia intelligibilis vocatur, quia pertinet ad intellectum. Sunt enim omnes veluti ſimum, quæ curuitas naſi eſt. Reſoluitur igitur omnis ratio ſeu Quodquid eſt rerum naturalium in actum quendam, & id cuius eſt actus, vt Simum in curuitatem & naſum: Homo in animam & corpus. Non deſinit autem reſolutio, donec ad vltimum peruentum ſit, quod in alia principia ſolui nequit: Illud enim eſt ceterorum principium ſiue vnum ſiue plura.

Reſolutio Materiæ, & Formæ in rationes earum.
Cap. I I I.

PORrò ſi corpus humanum reſoluamus in ſua principia, reperiemus magnitudinem eſſe, calidam, frigidam, humidam, & ſiccam, quæ ſimplices quidem elementorum ſubſtantiam conſtituunt, commiſtę autem pro varia temperatura partes ſimilares alias quidem molles, alias duras, alias medio modo ſed ſingulas non temere, ſed alicuius gratia. Oportuit enim oſſa dura eſſe, carnes molles, neruos medio modo. Amplius pro ſimilarium varia compoſitione, figura, numero, magnitudine, poſitione & ſitu videmus organa conſtitui varia ad ſuas operationes perficiendas, quarum gratia à natura facta ſunt. Si præterea corpus vt corpus in ſuas rationes reſoluamus: tres dimenſiones reperiemus, lineas, ſuperficies, profunditatem, quæ ex ſe quidem interminatæ inuicem terminantur, profunditas ſuperficie, ſuperficies lineis, linea punctis: vltra quæ nihil reperiatur niſi numerus, in quibus nulla ratio eſt ſubſtantiæ, vt per ſe ſubſiſtant. Ideo qui apud antiquos ſubſtantiam in his quęrebant,

rebant, fugiebat ipsa substantia. Relinquitur igitur vt in ratione formali reperiatur materiæ substantia, quatenus alicuius gratia est. Finis enim & perfectio substantia est, & propter eam substantiæ sunt, quæ eius gratia condita sunt: vt oculi perfectio & substantia est posse videre: hoc ablato, vt in oculo mortuo aut lapideo non est amplius oculus nisi æquiuoce. idem de ceteris dicendum. Si autem resoluatur anima in suam rationem, reperietur esse corporis physici organici actum quendam seu perfectionem, qua edere possit suas operationes, vt oculus videre, pes ambulare. Quæ potentia forma est, & finis cuius gratia materia huiusmodi fuerit necessaria, vt ad visionem præstandam oculi diaphanum, quod apparet in humore crystallino; ad incessum pedes cum suis partibus sic efformatis: ad alimenti coctionem viscera tot & talia: ad ductum alimenti in omnes partes, venas & arterias, & in ceteris eodem modo. Cognoscitur autem finis ab operationibus vniuscuiusque. Sicubi autem minus manifestæ sunt operationes, etiam eorum substantia magis latet, vt similarium partium, adhuc magis Elementorum. Manifestiores autem sunt operationes organicarum partium. At vero resoluatur perfectio hæc organica quæ est animæ ratio, in sua principia, cum sit actus alicuius, necesse est esse aliquem actum priorem, qui simpliciter actus sit, non alicuius, & finis perfectior, vnde in ceteris perfectio diuersa exoritur, pro materiæ varietate. Hoc modo inuentum est finem quendam perfectissimum esse, & optimum, in quo includuntur ceterorum omnium perfectiones varijs corporibus distributæ pro materiæ nobilitate & ignobilitate clarius & obscurius: Obscurissime quidem in corporibus inanimatis, vt sunt lapides, metalla & quatuor Elementa, quorum operationes secundum primas qualitates tangibiles apparent in transmutatione in se inuicem, & secundum graue, & leue in motu locali. Clarius autem in corporibus viuentibus: eorum enim gratia simplicia corpora facta sunt. Et inter viuentia, in quibus sola vegetatiua facultas reperitur,

ignobiliora; nobiliora quæ etiam sentiunt: nobilissima quæ intelligunt.

De substantia & Accidente. Cap. IV.

IGnorantia Substantiæ, & Accidentis sępius in errores inducit: nisi optime distinguantur. Substantia dicitur, quæ per se subsistit, non enim inest alteri. E contra Accidentia sunt, quæ nonnisi in subiecta substantia reperiuntur: & hæc secundum nouem genera prædicamentorum: Iterum Substantia explicatur per Quid est, Accidentia per Quantum, Quale, & reliqua genera. Transfertur tamen Substantiæ nomen etiam ad genera Accidentium; vt cum quæritur quid Linea, quid Superficies, quid Triangulus, quid Color: Quot enim modis dicitur ens, tot modis ipsum Quid: Sed quo modo non omnibus est manifestum. vnde quidam in errores inciderunt. Cognoscitur autem modus ex modis dicendi per se, qui tres ponuntur ab Aristotele. Primus de ijs intelligitur, quæ insunt in ratione subiectorum dicente quod quid est: Secundus de ijs, quibus subiectum inest in eorum ratione. Tertius de ipsismet subiectis, quæ hoc aliquid significant. Omnia autem necessaria sunt, & ex ijs Demonstratio constat. In primo modo continentur genera, & differentiæ essentiales subiectorum. In secundo passiones propriæ. In tertio ipsamet subiecta, de quibus demonstrationes fiunt. Cum autem differentiæ substantiales, quædam sumantur ex Quanto, vt in definitione corporis: Quædam ex Quali, vt in elementorum ratione: Quædam ex alijs generibus, vt Figura, positione, & alijs huiusmodi: eadem ad constituendam substantiam necessaria sunt, vt de oculi diaphano dictum est. Si autem in alio corpore sint non ex necessitate, accidentia sunt: vt Calidum de sanguine quidem per se dicitur, quia differentia substantialis est, quo extincto non amplius sanguis est: Materię autem sanguinis, vt aquæ per accidens inest. Omnia autem accidentia communia reduci

possunt ad per se in secundo modo, si inueniatur subiectum proprium, de quo demonstrari possunt, & per quod definiuntur. Vt Color per accidens quidem inest corpori, vt diaphano per se: est enim actus diaphani, idest luminis quædam participatio, magis & minus, vnde color albus & niger, & medij colores. Hinc patet materiam causam esse accidentium, omnia enim accidentia conditiones sunt materię, quarum prima est trina dimensio, quæ cum sit quantum quoddam, constituit corpus in genere Substantiæ. Ante trinam dimensionem ex parte materię nullum ens reperitur, nisi vacuum, quod non est: sed ex parte Formæ multa alia reperiuntur, quæ corpus perficiunt, vt qualitates tangibiles, visibiles, atque aliæ ad finem perfectiorem necessariæ: quæ omnia accidentia sunt, cum ad finem non conferunt; non enim necessariæ sunt neque per se: quia non conferunt omnia ad quascunq; formas naturales. Solum natura corporea omnibus necessaria est: nam reliquæ conditiones non sunt sine corpore, neque motus sine mobili. Mathematici tamen abstrahunt magnitudines & à motu & à ceteris omnibus, non quia stare possint sine illis, essent enim per se substantiæ, sed quatenus aliud est esse magnitudinis, & ceterarum conditionum. At si hæc vera sunt; Corpus vt corpus, idest Trina dimensio nunquam erit accidens, quia omnino materia separari nequit à forma, cum vnius corruptio sit alterius generatio: ad quamcunq; autem formam necessaria est trina dimensio. An si necessaria est ad elementorum constitutionem, & eorum, quæ ex ijs miscentur, non tamen necessaria est ad operationes sensus & intellectus? recipiuntur enim sensibilia & intelligibilia in anima sine materia; quamuis organa sensus sine materia esse non posint. Magnitudo igitur accidit sensui & intellectui. Præterea determinata quantitas varia est in varijs corporibus: ideo non omnis ex necessitate: Interminata autem quantitas in potentia est ad quoscunque terminos: & hoc modo materia in potentia est quanta, & reliqua Prædicamenta. Cum autem formæ naturales

participationes quædam sint summi boni in materia vniuscuiusque, non insunt ei tanquam subiecto, essent enim accidentia, sed illud perficiunt, quatenus in potentia est. Eædem indiuisibiles sunt quatenus pendent ab indiuisibili substantia, quæ sine materia est: diuiduntur autẽ per accidens, quatenus in materia recipiuntur, quæ per se diuisibilis est. Ob eandem rationem substantia non recipit magis & minus, quia indiuisibilis est. Quatenus autem extenditur ad extensionem materiæ, necesse est recipere magis & minus, dicitur enim tanta albedo quanta est superficies: & ad mixtionem contrariorum intendi & remitti. Non tamen omnia extendi apta sunt, neque commisceri: vt par, & impar, figuræ, & alia multa. At calidum, frigidum, humidum, & siccum & alia huiusmodi & extenduntur & commiscentur: quod necessarium fuit ad partes similares constituendas vario temperamento. Si igitur elementa non ex huiusmodi cõstarent, non potuissent commisceri, sed integra in composito permanerent: nec quælibet pars aquæ aqua esset, nec quælibet pars carnis caro, quod enim non extenditur, non diuiditur ad materiæ diuisionem. Si præterea trina dimensio per se esset non pendens ab altero, similiter substantia esset per se, nec egeret forma: Quomodo nulla copulatio fieri posset abstractæ substantiæ cum corpore. Vtraque enim separata ab inuicem sisterent, nec vnum alteri prodesset, siue sit, siue non sit; quo modo inconspirantem principiorum naturam faceremus. Quæ res maxime torquet Philosophos & circa materiæ rationem, & circa copulationem intellectus agentis cum homine. At ponenti trinam dimensionem ab impartibili substantia pendere, nulla sequitur difficultas. Ab eodem enim actu, à quo pendet vniuscuiusq; perfectio, etiam pendere necesse est, ea quæ necessaria sunt ad vnamquamque perfectionem: nec quęrenda est aliqua copulatio æterni cum generabilibus, aut intelligentiæ diuinę cum humana: pendent enim omnia ab illa, & subsistant illius ratione, non hæc in illis. Diuinum enim & appetibile impers & immensum corporibus

omnibus esse distribuens ab illis veluti mensuratur sui appetentia, quantum singulis appetere datum est, mouens, & perficiens. Cum autem appetitus omnis insequatur sensum, aut intellectum: corpus autem non sentiat neq; intelligat: primum mouens intellectum esse opus fuit: propria enim est operatio non communicans cum corpore: cuius intellectione coniuncti scilicet corporis habentis illum, quatenus illum habet. Separata igitur hæc substantia est ab omni corpore, nullum autem ab ea separatum est, quam diu recipit esse. Cum enim non recipit, in priuatione est. Distributio autem prima fit per motum cæli. Vltima autem, quæ perfectissima est ipsius sapientiæ spiritu & lumine. Quo autem purior spiritus fuerit, eo lucem clariorem recipit: impurissimus in plantis ob crassitiem, purior in animalibus, purissimus in homine. Denigratur autem ab humoribus in morbis, vt in Melãcholia: aut à commercio cũ spiritibus immundis.

Conceptus similes esse substantijs abstractis. Cap. V.

Conceptus seu in anima, seu in voce, seu in scriptis suum esse habent à re, cuius sunt notæ. Vna enim, & eadem res ab vnoquoq; percipitur sine materia tam in sensu quam in intellectu, vt Callias & homo: multitudo autem recipientium non res multiplicat. Eadẽ enim imago in pluribus speculis, & idem sigillũ in pluribus vocibus aut scriptis reperitur. Cum enim assumuntur, vt rerum notę, esse habent à rebus, quarũ sunt notæ: non multiplicantur autem ex multitudine recipientiũ, quia sine materia recipiuntur, quę est multitudinis causa. Aliquo autem modo multa dicuntur pro recipientium multitudine vt multa Iliadis volumina, sed per accidens: non enim de Iliadis essentia sunt ipsa scripta, aut voces, aut hominum memoriæ. illis enim deletis non deletur Ilias, sed accidentia sunt. Hinc patet Materiam à Forma, non Formam à Materia subsistentiam habere. Volumẽ enim Iliadis ab Iliade suum esse habet: non Ilias à volumine. In

quo errabant antiqui,putantes ſolam materiam ſubſtantiam eſſe,formas autem accideniia.Similes igitur ſunt conceptus ſubſtantijs ſeparatis. Vt enim participatio Iliadis in ſcriptis aut voce Ilias dicitur vna & eadem non diuerſa,neq; à ſcriptis aut voce aliquid aſſumit: ſic ſubſtantiæ ſeparatæ eſſe diſtribuunt varijs corporibus, cum tamen à corporibus ſint ſeparatæ,ſed differunt conceptus humani à ſubſtantijs ſeparatis, quia non ſunt ſubſtantiæ. Non enim anima res ipſas recipit, ſed rerum imagines, quæ vt imagines tantum accidentia ſunt, nec vires habent efficiendi. Scientia enim Medicinæ non ſanat, ſed calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, quibus Medicus vtitur: Qua ratione Ideas fruſtra poni inter principia concludebat Ariſtoteles. At intellectus diuinus non imagines recipiendo cognoſcit, ſed ſuo lumine omnia manifeſtiſſima ſunt non magis vniuerſalia quam ſingularia, ſine materia enim tam in ſenſu, quam in intellectu recipiuntur. Ob eandem rationem neque ſcientia humana vim habet, vt ſcientiam per ſe in alio gignat, quamuis eædem imagines imprimi in altero poſsint: vt faciunt characteres Impreſſorum in charta, & ſigilli in cera, ſed nec carta, nec cæra imagines impreſſas cognoſcit. Sic anima diſcipuli à præceptore ſuſcipere quidem poteſt imagines impreſſas,at non cognoſcet ſine lumine interno, quod à ſubſtantia immateriali participatur. Sola hæc ſubſtantia ſcientiam parit, quia res ipſa eſt, quæ intelligitur ſecundum ſe clariſsima, cuius intellectione reliqua intelliguntur. At in intellectu humano obſcurius recipitur ob corporis, in quo eſt coniũctionem.Si vero à corpore abſoluatur,vt poſt mortem contingit, remanet intellectus omnino abiunctus à materia & à Phãtaſmatibus,vt illuſtrari clariſsime poſsit:quod aliquando in extaſi quibuſdam datum eſt. Ceterum ſi ſubſtantiæ naturales non poſſunt eſſe ſine materia,quomodo in ſenſu aut in intellectu ſine materia fuerint? An in diuino intellectu non eſt impoſsibile? quia continet omnia entia, etiam materiam,quatenus omnia ab eo fluunt.In homine

autem

autem & animalibus per eius participationem id contingit, quantum potest: Datum autem est per imagines in sensu receptas in organis,& per Phãtasmata in intellectu. Si quis autem putet,quæ signa sunt,res ipsas esse,vt aliquando contingit in insomnijs,& in picturis: delusio est, & à veritate aberrat. Deprehenditur autem error eodẽ lumine interno,si anima à somno aut alio impedimento non prohibeatur. Eius enim participatione & sentimus & intelligimus, imo & vegetamus.Quod nullum ex naturalibus præstare potest: materia enim repugnat.

Ergo separatum esse oportet ab omni materia,& omnino impassibile, sed agere tantum in plantis quidem nutritionẽ, & generationem sibi similis: in animalibus etiam sensum,vt nemine docente pulli nuper nati ferantur ad escam sibi familiarem: In homine etiam intelligentiam, vt resoluere omnia possit in sua principia. Quatenus enim est,vnde pendet esse omnibus,omnia potest. Quatenus intelligens omnia scit. Quatenus optimum,ab omnibus appetibile est.Hucusque Aristotelem peruenisse videmus via naturali, quamuis de Cælestibus admodum ieiune dixerit, quia remotissima sunt à nostris sensibus. Sed vbi deficiebant sensus, Analogia vtebatur. Quę enim in Cælo sunt, eandem proportionẽ habere dixit cum inferioribus. Nam intellectum agentem, qui nostrum intellectum ducit ad actum,lumini comparauit. Quemadmodum enim lumen sensibile omnes colores ad actum ducit, quia est per se visibile: sic intellectus in actu omnia intelligibilia actu intellecta facit, vt lumen colores in tenebris positos: non enim sunt actu colores in tenebris, sed potentia tantum, quia in diaphano terminato lumen suscipere possunt,quæ est coloris essentia. Ex quo colligere licet. Primum illud ens veluti lucem esse clarissimam. De altero autem principio scilicet corpore ab eo fluente susceptibili variarum perfectionum, inquit in inferioribus potentia esse Substantiam, Quantum, Quale, & reliqua Prædicamenta; quæ materia prima dicitur. In Cælo autem potentiam

tiam habere ſolum ad motum circularem. Elementorum præterea ſphæram ignis, qui Aether vocatur, in cæleſtibus proportionem habere cum vltimo cælo, quod ab antiquis Aether appellatum eſt, quia ſemper currit, vbi degunt ſubſtantiæ abſtractæ: non tamen calorem igneum habere, vt videtur Anaxagoras putaſſe, ſed calorem quendam mitem, qui exceptus in his inferioribus fœcunda facit ſemina, non ignis neque ex igne ortum ducens, ſed ſpiritus proportione reſpondens elemento ſtellarum, quem omnis anima participare videtur. Omnem præterea animã cælitus principium ducere, quia rationem cuius gratia & melioris habet: quod fini optimo conuenit.

Ex his etiam patet, in cælo quandam partem ſolidiorem eſſe reſpondentem terrę: cuius motu attritio fiat, & calor in inferiori corpore. Alteram ſpirituoſam reſpondentem aeri & igni nobiliorem, quæ primum mobile conſtituit: cuius motu rapidiſſimo omnes inferiores ſphæræ mouentur tanquam à continente in occaſum, vt etiam ſphæræ ignis & aeris communicetur, & aliqua ex parte vſque ad terram: vt nos collegimus ex mutatione obſeruata ab antiquis quorũdam aſtrorum fixorum in longiſſimo tempore & inæquali: quod tribui nequit ſuperioribus ſphæris, ſi vera ſunt, quæ de Loci natura dicta ſunt ab Ariſtotele. Longe autem velociorem eſſe primi mobilis motum putandum eſt, quam Firmamenti ratione diſtantiæ & craſſitudinis. vt forte vnus dies Firmamenti ſint mille anni primi mobilis.

F I N I S.

